



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Felicitas M. 10. Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. FELICITAS M. 10. Iulij.

FELICITATEM in manibus habes, matronam  
 in quâ unâ omnem Spartam Roma extinguit.  
 Stat ecce ad tribunal plena animis, & qui matrem  
 coronat, globum filiorum in tyrannum agit. *Ne, ne  
 oculos in tyrannum filij, aut quas hic minatur pœ-  
 na, sed calum, sed qua calum promittit gaudia, defri-  
 gite. Ite, ostendite etiam suos Romanis Machabæos  
 esse, implete nominis mei omen, facite ut sim, qua  
 dicor, Felicitas. Septem estis, si pueri, certè numero  
 tyranno superiores. Sed & mater adero, pugnabo in  
 singulis, in omnibus triumphabo. Votû pugna hoc est,  
 ut nostrum ex acie vivus nemo discedat* Talia mater  
 filijs: at matri tyrannus colaphos ingerebat. Mox  
 IANVARIUS virgis cæsus ridet puerile tormentum.  
 Negant FELIX & cum PHILIPPO SILANVS sive à  
 fratribus sive à Christo avelli posse. Iam ALEXAN-  
 DER clientelam Imperatoriam offerenti Christi se  
 Libertum respondet. VITALIS porrò edicere Iudi-  
 cem jubet dæmonine malo an DEO Opt. serviendû.  
 Denique rectissimè MARTIALIS castis minis serias  
 Orci pœnas opponit. Has itaque inter pugnas, plum-  
 batis, sustuario, præcipitio ferroque omnis fra-  
 terna acies cadit. Et potuit in septem Germanis  
 trecentos Fabios spectare Roma. FELICITAS  
 certè spectavit, & oculis suis tot sibi oculos erui  
 videre sustinuit, dum ultima à ferro est mortua.  
 Si tamen mori jam potuit septies mortua. Ex Sis-  
 rio.

Quid tēpore iudicij facturi sumus, quando contra  
 Crucifixi Domini livores nota peccatorū nostrorū, &  
 macula libidinū proferentur? quo vultu respiciet re-  
 demptio nostra perditionem nostram? antò graviora



erunt nostra delicta, quando : majora se ostenderunt  
divina beneficia. S. Cæsar. hom. 23.

S. GOLINDVCHA M. II. Julij.

**P**arens multi cœnarent, si cum GOLINDVCHA  
nobili apud Persas matronâ. Epulo assidebat  
illa, cum ecce tibi, dum alii gulam, ipsa Superis in-  
vitantibus oculos suos pascit. Tollit hos Cælo, &  
quæ Calites convivia adirent, spectat; poni am-  
broSIam, misceri nectâr videt invidetque. Inde ad  
inferos demittit, & esurire micam, sitire guttam  
epulones, interque hos, prò dolor ! etiam paren-  
tes suos advertit. Ipsa scilicet ad Christum Chri-  
sti que fidem se vertit. Succensuit conjux, so-  
ciamque thori ad Saporem Regem fide minime  
maritali defert. Hic octo ipsos annos in carcere, tem-  
tum quatuor menses in antrum compingit à draco-  
ne inessum. Cùm hoc etiam monstrum virtus do-  
misset, in infamem cellam abducitur; sed hinc  
à Tutelari Angelo educitur. Inde ad supplicium  
rapitur; sed ab hoc iterum eripitur, quòd tamen  
nimium quantum sanguinem pro Christo gessi-  
ret fundere, vulnus in jugulo, sed ab hujus cruore  
medicinam omnis id loci æger accipit. Hoc potè  
monili superba GOLINDVCHA cùm locos à viris  
sanctis nobilitatos permultos adiisset, cælo tan-  
dem se intulit, & inde ad Saliâres epulas suis  
etiam oculos Marianorum invitat. Ex Meneis &  
Theophylacto.

*Quid tam pavendum, quid tam plenum anxi-  
tatis, & vehementissima sollicitudinis excogitari po-  
test, quàm judicandum stare illi tam terrifico tri-  
bunali, & incertam adhuc expectare sub tam discri-  
tato judice sententiam? S. Bern. serm. 8. super B. Qui  
habitant.*

S. IOAN-